

Johann Simonius

Bonus Princeps. Panegyricus, Divo Uldarico, Duci Megapolitano, XIV. Martii, anni 1609. In Academia Megapolitana, quae est Rostochii

Rostochii: Reusnerus, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729969819>

Druck Freier  Zugang




MK-1451 a



MK-

1451^a



15

Mk - 1451^a

BONUS PRINCEPS.

PANEGY-
RICUS,
DIVOULDARICO, Duci
Megapolitano,

XIV. Martij, anni 1609.

In Academia Megapolitana, quæ est Rostochij,
à JOANNE SIMONIO
publicè dictus.

AD

Illustrissimos Celsissimosq; Principes & Dominos, Dn. ADOLPHUM
FRIDERICUM, & Dn. JOANNEM ALBERTUM, fratres
germanos, Duces Megapolitanos, Principes vetustæ gentis Henetæ, Co-
mites Sverini, Rostochij & Stargardij Dynastas: cum recipiendi homagij
causâ, urbem suam Rostochium, mense Julio incipiente, ingrederentur.



ROSTOCHII
Excudebat Christophorus Reusnerus
ANNO M. DC. IX.

BONNS PRINCEPS

PANEGY-

RICUS,

DIVONL DARIO, Duci

Megapolitano,

XIX. Junij, anno 1606.

In Academia Megapolitana



5 FORM

OLPHUM

THESE COMITIA JOAN

ca-

1986 A. 47



ROSTOCHI

Excudebat Christophorus Reulnerys

Anno M. DC. IX.



*Illustrissimis atq; Celsissimis Principibus
& Dominis,*

DN. ADOLPHO FRIDERICO,

&

DN. JOANNI ALBERTO,

fratribus germanis,

*Ducibus Megapolitanis, Principibus vetustæ gentis Heneta,
Comitibus Sverini, Rostochy & Stargardij Dynastis,
Dominis meis clementissimis.*



Illustrissimi Celsissimiq; Principes, Domini clementissimi: tenuerunt ante paucos annos pari potestate hunc Ducatum, eumq; felicissime administrarunt, duo clarissima imperij Romani lumina, Duces Megapolitani, fratres germani, JOANNES ALBERTUS, divus VV. CC. avus, & ULDARICUS, patruus magnus. Et quidem avus vester, etsi præmaturâ morte, tota hac Megapoli, Musisq; ipsis lugentibus, obiit: annum enim ætatis quinquagesimum primum vix dum ingressus hanc mortalitatem exiit; tamen gloriæ satis vixit: ita, ut exemplum rectè & vivendi & imperandi posteris suis reliquerit. Nam cum esset ijs, quas veteres sapientes Homerus & Plato in Regibus imprimis requirunt, artibus sic instructus, ut pares propemodum omnes superaret: nactus Patris ALBERTI, divi avavi vestri, Principis optimi & sapientissimi, felici ex hac vitâ migratione vacuum factum Principatum; statim, ceu in sublimi loco posita illustris arx, qualis esset futurus gubernator, omnibus & finitimis & longinquis se conspiciendum ostendit. Nihil dicam de religione ab ipso confirmata: nihil de foro Provinciali restituto: nihil de hac Academiâ restauratâ: nihil de repub. sapienter administratâ; nihil de justitiâ, munificentâ, amore in subditos paterno: nihil de id genus virtutibus heroicis alijs: quorum operum maximorum socium VV. CC. avus habuit fratrem ULDARICUM. Fuerunt multa tanti Principis propria, plurimorum monumentis celebrata. Arti enim basilicæ rotus impensè fuit deditas. liberalium disciplinarum amplifican-

plificandarum studio mirificè arsit. ad excitanda adolescentum, si quæ essent
 feliciora, ingenia, regiam operam contulit. doctos viros, insignesq; artifices,
 undiq; accersitos, cum esset elegantia studiosissimus, liberaliter fovit. In
 certaminibus & ludis equestribus suos familiares accuratè exercuit. eam di-
 sciplinam, quæ corpora cœlestia sine superstitione contemplatur, præclarè
 tenuit. mensam, pro re natâ, colloquijs suavissimis de religione, de jure, de re
 herbariâ, de Philosophiâ, de ijs, quæ vel essent gesta, vel per orbem terrarum
 gererentur, de militiâ: non etiam nunquam de re familiari, de venatione, de
 agriculturâ, ita condire solitus est, ut in posterum etiam diem cœnæ illæ sa-
 perent. & quod omnium seculorum deprædicationibus dignum est: utut
 fratrum animi interdum dissensione aliò abriperentur; cum in pari imperio
 fieri non possit, quin Principes etiam optimi & placidissimi perturbatiunculis
 vexentur: JOANNES tamen ALBERTUS, divus vester avus, quæ er-
 rat in ipso mirifica ingenij, culturâ literarum confirmata, suavitas; semper
 hoc à se obtinuit, ut compositis offensiunculis, amantissimè cum fratre UL-
 DARICO in repub. viveret: humanitate cum eodem, qui & ipse erat hu-
 manissimus Princeps, certaret: adeoq; id efficeret, ut pari consilio, pari boni-
 tate, summâ concordia, omnia publica, ad hujus Ducatus amplissimi salu-
 tem, administrarentur. quam eximiam & divinam VV. CC. divi avi virtu-
 tem quibus præconijs ornare debeam, nescio. Sed quis poterit omnia in-
 genij & animi bona, quibus divus vester avus præ cæteris excelluit, oratione
 percensere? ULDARICUS autem, laudatissimæ memoriæ Princeps, divi
 vestri avi frater, à morte illius, viginti totos sex annos superstes fuit: quibus
 optimum pientissimumq; Principem JOANNEM, Ducem Megapolita-
 num, sanctissimæ recordationis Parentem vestrum, socium aliquando Imperij
 & gloriæ habuit: quanquam exigua, pro dolor, ejus temporis fuit usura:
 cætera solus rerum potitus fuit Dux ULDARICUS. Huic divo Princi-
 pi, Patruo VV. CC. magno, filia ejus, Serenissima & Potentissima Daniæ
 Regina, vidua, SOPHIA, quotannis Panegyrii institui jussit. Quæ partes
 cum mihi essent hoc anno demandatæ; hanc oratiunculam publicè die anni-
 versario recitare volui.

Eam, Illustrissimi Celsissimiq; Principes, domini clementissimi, VV.
 CC. submissè offerendam judicavi; idq; duas præcipuè ob causas. Primò,
 cum Princeps ULDARICUS divum avum vestrum in multis maximis
 gravissimisq; negotijs Promachon habuerit: meritò harum rerum, quarum
 quoq; in hac commentatiunculâ nostra fit mentio, fructus ad VV. CC. per-
 tinere videbatur. Deinde, cum hoc tempore, quo VV. CC. homagium sibi
 à suis subditis præstari curant; quod ut felix faustumq; sit, VVq; CC. & to-
 ti reip. salutare, toto pectore Deum rogo; cum inquam, Apollo hoc tempo-
 re in fabricandis gratulationibus, multum, neq; id immerito, defudet: cen-
 sebam, VV. CC. me nec majus nec exoptatius, nec præstantius quicquam
 ab Optimo Maximo in hoc gubernationis exordio, precari posse, quam si vo-
 veam, ut VV. CC. sint tum avi sui, tum patri magni perquam similes: hoc

cl. 16.

est, ut, quæ uterque singula optabilia, pulcra, admiranda, magna, præclara
habuit; ea VV. CC. omnia conjunctim divinitus nanciscantur atque con-
sequantur. Quod meum ex intimis animi penetralibus profectum votum,
ut Deus ratum esse jubeat: atque ut VV. CC. hoc meum qualecunq; studium
benigno vultu aspiciant; & illum devotè, & VV. CC. submissè oro. Ex
CC. VV. Academiâ; quæ est Rostochij, 3. Julij 1609.

VV. CC.

Subjctissimus

JOANNES SIMONIUS.



A 3

Nica-



icanorem, Demetrii, potentissimi olim
Syriz Regis, cui perpetuz cum populo DEI
hostilitates intercedebant, Legatum, virum
callidum & audacem, accepimus, cum furens
odio, flagrans sævitiâ, anhelans totius Judææ
excidium, extento contra templum Jehovæ;
quod Hierosolymis erat; religione stupendum,
structurâ communitum, situ claro admirandum; brachio jurasset,
se illud funditus everfurum: paulò post à Judâ Maccabæo, legis
divinæ propugnatore acerrimo, in acie superatum interfectumq;,
hoc suæ blasphemiz documentum posteris reliquisse, ut invictis-
simi Ducis illius jussu, caput & infame brachium mortuo præci-
sa, ad ejusdem, quod ipse vastare decreverat, templi fores amplif-
simas publicè suspensa & affixa, ab omnibus viserentur. Atque
hujus quidem tristissimi spectaculi, de Dei in reprobos irâ, in
pios benevolentia concionantis imaginem hesternus dies, qui in
fastis 13. Martij est, quoq; die illa accidisse memorantur, nobis
propofuit. Hoc verò tempus de ULDARICO, illustrissimo
quondam Megapolitano Duce, Principe vetustæ gentis Henetz,
Comite & Propræsule Sverinensi, Rostochij & Stargardij Domi-
no, Germaniæ illo Nestore; Patre Patriæ; Ecclesiarum & Schola-
rum Evergetâ; Academiæ hujus præsidio; Orthodoxæ - Catho-
licæ religionis dexterâ; imperij oculo; virtutum thesauro, nos
iterum admonet: nosq; tanti Principis recordatione, cum toti
huic provinciæ gratâ, tum nobis quoq; venerando cultu ac omni
pietatis officio complectendâ; non solum veterem ex obitu ipsi-
us quondam conceptum dolorem molestiamq;, sed etiam ex es-
jus administratione, plenâ pietatis, plenâ justitiæ & gravitatis re-
lictum desiderium renovat. non quod cæterorum clarissimo-
rum Ducum Megapolitanorum, qui hanc Academiam primi fun-
darunt, quiq; eam deinde ornarunt, & adhuc ornant, & inter il-
los inprimis divi JOANNIS ALBERTI, herois fide in
Deum constante; clementiâ in suos admirabili; comitate in no-
strum ordinem mirificâ; humanitate in omnes homines propè
divinâ,

divinâ, **PRINCIPIS SUMMI**, luminibus, hac nostrâ in
Ducem **ULDARICUM** animi significatione, obstruere sic
animus: sed ut Serenissimæ & potentissimæ Principis & Do-
minæ, Dominæ **SOPHIÆ**, reginæ Danicæ, viduæ, Dominæ nos-
stræ clementissimæ, voluntati satisfiat. Quod enim hæc concio
ornatissima convenit: quod viri eximia doctrinâ his proximis
annis hujus diei memoriam ex hoc loco solemniter celebrarunt:
quod ego iterum in hunc ascendi: id Sophiæ, Summis ornamen-
tis ingenij, corporis, fortunæ, virtutis præditæ Reginæ opus est
& institutum: quæ hæc suæ in divum Parentem pietatis, sui in
genitorem amoris, suæ in Celsissimam Ducum Megapolitanorum
gentem suam caritatis, non ad exigui temporis prædicationem,
sed ad omnem posteritatem fixa vult vestigia extare. Ac mihi
quidem vehementer optandum erat, ut & Serenissimæ Reginæ
expectationi, & huic festivitati respondere, atq; id efficere pos-
sem, ut Oratio mea cum cæteris omnibus, tum vobis, Auditores,
inprimis probaretur. Nec enim me latere possunt tacitæ vestro-
rum animorum cogitationes, quibus vos commoveri intelligo,
dum expectatis, quid tandem, post laureata aliquot annorum en-
comia, vel ad audiendum novi, vel ad **D. ULDARICUM**
prædicandum singulare sim allaturus. Ego verò, Auditores, ut
metum, quem mihi hujus diei magnitudo, meaq; ad ipsam colla-
ta dicendi inopia affert, vestrâ sentio æquanimitate, vestraq; præ-
sentiâ paulatim minui: sic vitam Beatissimi nostri Principis, tam
latè patere, tamq; fecundam esse judico, ut cuivis etiam dicturo
campum, nunquam non, ea præbeat amplissimum atque uber-
rimum.

Cogitanti autem mihi, quidnam ex hac tantâ copia, quod ad
hujus diei expectationem sustinendam celebritatemq; tuendam
faceret, potissimum decerperem: visum fuit **IN ULDARI-
CO DUCE MEGAPOLITANO VIVUM** propo-
nere **BONI ET SALUTARIS MAGISTRATUS**
EXEMPLVM: quod si gubernatores in partibus sibi deman-
datis sequantur, nullum sit dubium, quin navem Reip. ita regant,
ut salva & incolumis in portum optatum ventis secundis delata
perveniat. Quod dum facio, atq; hac meâ, non artificio singu-
lari, & eruditione expolitâ, sed humili ac tenui oratione pertra-
cto:

Et: Magnifice Domine Rector, Concio clarissima nobilissima & ornatissima, à vobis peto, ut mihi exigui temporis audientiam, quæ vestra est humanitas, benignè prolixèq; tribuatis.

Bonum & salutarem Magistratum eum esse nobis sacra confirmant literæ, qui omnia sua consilia, dicta & facta eò dirigit, ut veram de Deo doctrinam propaget, sincerum Dei cultum stabiliat, Ecclesias rectè constituat, studia literarum tueatur, justitiam amet, disciplinam foveat, pacem colat. Neq; in regnum aut civitas nomen est fastus, arrogantiae, tyrannidis, rapinae, insolentiae aut libidinis: sed est Pietatis justitiae, bonitatis, amoris in subditos, integritatis, virtutis omnis tum possessio, tum usurpatio: ut hic sit verè salutaris Princeps, hic sit verè bonus Magistratus censendus, cui in votis nihil est prius, in factis nihil exoptatius, quàm ut Domino Exercituum, regi illi glorioso, intranti portas sui imperii pandat, ut pias scholas & Ecclesias nutriat, & quod præclare in Tragœdiâ dicitur, ut consulat patriæ, parcat civibus, fœdâ cæde abstineat, mores regat, servet orbi quietem, seculo pacem suo. hæc summa principis virtus: petitur hæc cælum viâ. Non ignoro, Auditores, pronuciari ab Aristotele Philosophorum principe, inesse in occultâ tyrannide cum alias virtutes, tum pietatem, temperantiam, sobrietatem, studium procurandi bonum publicum, gravitatem deniq; cum morum facilitate conjunctam. Verum hæc ita tamen ab Aristotele dici scio, ut ea, quæ enumeravi, omnia in occultâ tyrannide affirmet reperiri simulata, falsa, vana. sunt enim tyrannidis, quæ non apertâ facie furit, sed haud sentientibus imperitis exercetur, hæc sophismata, hæc arcana: externâ specie pietatem & religionem colere; apud animum detestari: foris, virtutis studium fingere; domi, in omni turpitudine exultare: commodum publicum verbo procurare; re autem verâ id agere, ut subditorum opes & facultates singulari quodam artificio paulatim imminuantur attenuenturque: moderationem præ se ferre, ut, more vulpis, quos volet alliciat: pellets, instar Leonis, jugulet: hæc sunt decantatissima occultæ tyrannidis arcana. Nihil horum in verè bono magistratu: nihil, & planè nihil. nihil in eo inest simulati: nihil fucati: pietum nihil: fictum nihil. omnia ibi sunt vera: omnia sincera: omnia genuina, aperta, & ut Plato vult, *ret agywna*.

Ejusmo.

Ejusmodi Boni Magistratus vivum exemplum nobis reliquit
Divus ULDARICUS, Dux Megapolitanus. Atq; ut de Pietatis & religionis, quæ in beatissimo nostro
 Principe mirificè eluxit, studio primum dicamus, atque quale
 quantumque illud fuerit, demonstremus: repetenda nobis erit
 superioris sæculi quædam memoria, non quidem à gemino, quod
 dicitur, ovo, sed ab ijs præcipuè temporibus, quibus religio hæc
 nostra ex tenebris traditionum humanarum erepta, & in apertam
 Evangelii lucem, Dei opt. max. beneficio, Megalandri Lutheri
 ministerio reducta jam confirmari; & promulgatâ in conspectu
 totius Europæ, indignantibus inferorum portis, reluctantis om-
 nibus Diabolis, nobili & in totâ æternitate deprædicandâ Au-
 gustana confessione, in totum ferè orbem terrarum longè lateq;
 disseminari ceperat. Repurgaverant enim nostræ Ecclesiæ salu-
 tatione doctrinam: effecerantque, ut beneficium Christi clarius
 conspiceretur, atque ut extaret vox de eâ fide, quâ remissio pec-
 catorum accipienda est. patefecerant discrimen legis & promissi-
 onum, quæ sunt Evangelii propriæ. restituerant legitimum usum
 Sacramentorum. ejecerant divorum invocationem, vota, mona-
 chatus, theatricas pompas, & id genus alias quisquillas, fermenta-
 que meritorum humanorum Pharisæica. revocaverant pios ad
 verè bona opera. postremò multis doctrinæ Christianæ partibus
 delibatam à Sole sacræ scripturæ lucem nostri attulerant. Verùm
 hoc suo divinitus excitato ministerio; hac suâ omni immortalitate
 digna operâ id consecuti fuerant: ut pro benevolentia, iras; pro
 amore, odium; pro favore offensam; pro amplexu, anathemata;
 pro caritate, vincula & ferrum sentirent atq; experirentur. Au-
 diebant Ecclesiæ Catholicæ desertores, pacis publicæ turbatores,
 seditiosi, hæretici, disciplinæ corruptores, duri, ferrei, adaman-
 tini, qui nec suis nec publicis calamitatibus moverentur: λογισμα-
 χικῶς studiosi, superstitiosi, implacabiles, perrinaces. Idemque
 oppugnabantur vi, scelere, fraudibus. Carolus V. mitissimus
 Princeps, ad sorbendum sanguinem civilem inflammabatur.
 Pontifex Rom. in nostros incredibili odio æstuabat. Reges orbis
 terrarum fremebant. de nostrorum cervicibus comitia habeban-
 tur. quicquid erat in mundo sublime; quicquid eruditum; quic-
 quid

B

quid

quid auctoritate, gratiâ, potentiâ valebat; id infensissimo adversus nostros erat animo. sæviebatur in membra Iesu Christi passim. accusabantur pij principes & civitates, quod hospitium præberent sacerdotibus & veræ doctrinæ. in aulis plerisq; hoc agebatur, ut novis præstigiis sanior doctrina obrueretur: & laus ingenii in scholis putabatur, hujusmodi sophisticaciones excogitare; quarum auctores Romæ & in Galliis in præcipua erant admiratione. tentabantur ingeniosæ compositiones eo fine; ut, seu inclinatio quædam animorum seu distractio inter nostros fieret, adversariis occasio esset suum odium declarandi, & præfidiis nudatos alium post alium opprimendi. nec deerant falsi fratres, viri oligarchici, homines vulpinâ calliditate: qui id unice contendebant, ut, vel adversarios dubiis interpretationibus & captiunculis eluderent; vel sese ex istis temporum tempestatibus, etiam cum sui læsione, ceu labrax piscis hamo, extricarent. &, quod maximoperè dolendum, non solum in Europâ volitabat factio Epicurea, quæ singulare genus sapientiæ ducebat, ridere Deum & doctrinam divinam: sed & seditiones hæresium domesticæ passim intra ipsa Ecclesiarum nostrarum viscera tumultuabantur.

His temporibus tam exulceratis, hac tam miserandâ Ecclesiæ facie, hoc omnium rerum statu tristissimo, Princeps noster **VLDARICVS**, cum inter Pontificios educatus, & in aulâ Bavaricâ ipse esset aliquandiu versatus, & fasces etiam magistratus scholastici in Acad. Ingolstadiensi gessisset: cumq; periculorum, quæ veram domini nostri Iesu Christi confessionem, semper circumstant, magnitudinem, optimè, quæ ipsius erat in rebus civilibus eximia & singularis prudentia, non ignoraret: tum verò purioris & verè Catholicæ antiquitatis, quæ in Ecclesiis Saxonice sonabat, doctrinam cupide amplexus est: nihil planè moratus ista, quæ se ipsi truculentissimo aspectu quàm sapissimè offerebant, à communi nostro hoste objecta, tela ignita. An non enim existimabimus, Auditores, Vldaricum Principem, cum à superstitiosâ, ad Deum rectè per Christum invocantem; à splendidâ, ad vilem & spretam; à fastuosâ, ad abjectam; à cælo, terræ, mari, ipsis Angelis imperante, & regum colla immanissimis pedibus conculcante, ad miseram, egenam & cruci obnoxiam Ecclesiam se converteret; an non existimabimus, inquam, Principem **Vlda**

VLDARICUM, cū hæc apud se constituisset, cū his conflictatum cogitationibus, ut secum ipse tacitis sæpè verbis sic ageret? Hem! quid designo? quid occipio? egonè, ex tam antiquâ Regum Vandalicorum gente natus, à majorum pietate degeneravero? egonè hoc meo factò atavos, abavos, proavos, avos condemnabo meos? egonè generis Megapolitani claritatem hac mea apostasiâ obscurabo? sumnè autem ita hebes, ita excors, ita stupidus, ut non sentiam Cæsaris potentissimi in Lutheranos iram? evibratum à Pontifice, servo servorum, domino dominantium in eisdem fulmen? Purpuratorum malevolentiam? Germaniæ, Galliæ, Italiæ, totius mundi conceptum in ipsos odium? aut sum ita omnium, quæ in hoc negotio aguntur, ignarus, ut bellum fore non videam? quo Germania iterum inflammabitur? nova illa à fugitivo Monacho introducta religio oppugnabitur? professores ejusdem maximo multabuntur malo? Hæc & id genus alia, quæ eo tempore non obscura erant, Vldarico duci, apud animum suum veræ doctrinæ professionem meditati, objecta fuisse, nullum dubium est. Sed tantum absuit, ut hæc naniâ pium Principis propositum impedirent, ut etiam magis magisq; confirmarent. Vincebat enim in principis animo pudorem, veræ religionis amor: timorem, spes: gloriam mundi, crux Christi: rationem, fides: mendacium, veritas: Satanam, Spiritus sanctus. Nam quod Lutherus monachatum deseruisse dicitur, in eo nihil peccavit. paruit vir ille divinus mandato Dei, quod fugienda idola, atque de Babylone septicolli exeundum esse, gravissimè & severissimè præcipit. Nec vera est, quæ nostræ religioni ab illis admodum invidiosè objicitur, novitas. purum putum id est Romanæ sedis figmentum, meræq; præstigix ad dementandos miseros hominum animos ab adversariis excogitatæ. fundamentum enim nostræ religionis est id, præter quod nullum aliud poni potest, quod est Christus Iesus: præter quem nullum aliud nomen datum est, in quo gratis nos oporteat salvari. hoc nomen cui hodiernum est: hic Iesus Christus, cui novus est; ei & nostræ religio quæ sit nova, mirum non fuerit. At tamen pericula, at scandala nostram doctrinam presso pede sequuntur? quasi verò ista pericula, quasi ista scandala (de acceptis loquor, ut vocant, non de datis) nostræ religionis aut novitatem aut falsitatem secum importent? nec verius sint orthodoxè Catholicæ religionis, ab ipso domino

impresa *πρωτομαρτυρία*, atque aded Ecclesiæ Iesu Christi, omnibus verè pijs & rectè sentientibus non inficianda, omniq; exceptione maior, nota? Denique sciebat princeps, hanc veram gloriam, hoc solidum decus, hoc genuinum esse augustalis familiæ axioma: Christo Ducatus sui valvas aperire; eique venienti in occursum, convulsis totius regionis sedibus, procedere: cum & hoc severissimè mandatum sit omnibus regibus, ut Filium exosculentur: nec in multitudine majorum errantium quærendum sit errori præsidium.

Quamquam nec omnes, qui sub Papatu vixerunt, periisse, æternumque abjectos esse, existimandum est. Prædixerat enim Spiritus Sanctus per Daniele Prophetam, tria genera hominum ex Antichristi faucibus ereptum iri, Edom, Moab & principium filiorum Ammon. quæ verba sic interpretatur Theosdotos, ut per Ammonitas, intelligat infantes, per baptismum Christo infitos, sed in infantia mortuos. per Edom, martyres, qui pro veritate religionis non dubitarunt poleram per vulnera mortem oppetere: trucidati tum à Pontificibus, ab Episcopis, à Doctoribus magistris nostris, tum à sanguinariis illis monachis, quos Prædiores indigetant. Moabitas autem, ait Lutherus, significare eos, qui passim in toto orbe terrarum domino nostro Iesu Christo sub Papatu adhæserunt: licet timore præditi Papatum publicè non oppugnarent. Cum primis verò voce Moab vult Lutherus accipi hos, qui decurso vitæ spacio, cum esset hinc migrandum, non in Maosin idolo, nec indulgentiarum nundinationibus; sed in Iesu Christi morte suam omnem fiduciam fixam habentes, decesserunt. Est enim hoc Dei opus stupendum, & omni prædicatione efferendum: quod, cum, Papatu flagrante, omnia loca omnesq; anguli opinione priorum meritorum personarent; tamen moribundi ad solum Christum huiusq; lytron deducti scribuntur. De quâ re, nec ab hoc tempore alienum, nec ijs, qui cum his de majorum salute cogitationibus fortè conflistantur, ingraturum me facturum iudicabam: si quæstiones illas sex, quas, teste Anshelmo, morituris proponebant, hoc in loco recitem. Ita enim Anshelmus, Cum aliquis, inquit, fratrum periculosè decumbit; pium est & fructuosum, ut is per Sacerdotem in quæstionibus & quæ sequuntur, cohortationibus, benè multumq; exerceatur. primumque

numque ex eo quaeratur: Frater, gaudeſne, quod in fide ſis moriturus? & ille respondeat: ita gaudeo. Age, confitere, te ita bene, ac debuiffes, non vixiſſe? confiteor. Eſne hoc propoſito, ubi ſupervixeris, ut te emendes? ſum vero. Crediſne, Ieſum Chriſtum dominum, Dei filium, eſſe propter te, & propter ſalutem tuam mortuum? etiam credo. Crediſne, te non poſſe ſalvari, niſi huius ipſius morte? credo. Agiſne Chriſto, pro tanto beneficio, gratias tantas, quantas animi tui anguſtia capere poteſt maximas? ago. His praemiſſis, inquit Anſelmus, ſubſequetur ſacerdos in haec verba: profecto, frater, Chriſto oportet agas gratias, quamdiu vixeris: in huius morte collocatam habe fiduciam tuam univerſam: huius morte te totum cooperito; in hanc te induito, teque involve totum. cumque Dominus iudicare te volet, dicito: domine, mortem Jeſu Chriſti, domini mei, filii tui, pono mediam inter me & te tuumque iudicium: abſque hac declino forum, neque tecum congregior. ſi ipſe dixerit, te promeriſſe hoc iudicium; reſponde: mortem domini mei Ieſu Chriſti mecum affero, atque huius precioſiſſimae necis meritum ſuccenturio in locum ejus, quo ego inſtructus eſſe debebam: nec ſum, dolor. & pergat dicens: mortem domini mei Ieſu Chriſti ſacroſanctiſſimam ſtatuo mediam inter me & iram tuam, poſtea ter repetat: Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum. & qui aſtant, reſpondebunt: etiam Domine, ſuſcipe in manus tuas huius aegroti, quem Tibi commendamus, ſpiritum, ita fiet, ut aegrotus placide obdormiat, nec videat mortem in aeternum. Haec Anſelmus. O conſilium Dei inenarrabile! o vias Domini impervestigabiles! o admirandam divinae benignitatis lucem, ſeſe in ſa caligine adeo tlementer exerentem, & eorum temporum tenebras, ipſis etiam Aegyptiacis denſiores, quodammodo illuminantem!

Haec omnia cum praecclare noſſet Princeps: nihil vel potentiorum iniqua iudicia, vel rabularum quorundam Romanenſium ſcommata, vel pericula impendentia moratus, exemplo Ezechiae & Joſiae clariffimorum regum, cultibus idololatricis plane exterminatis, pie & reverenter & magno ſtudio ac zelo, doctrinam, miniſterio Lutheri ab inquinamentis traditionum humanarum divinitus repurgatam, amplexus eſt, neque tantum amplexus eſt,

sed etiam ornavit, & usq; ad extremum vitæ halitū constantissimè defendit. Neq; enim Principi est obtemperandum Demadis consilio, qui Atheniensibus, denegantibus Alexandro Magno divinitatem, Cavete, dixit, ne terram amittatis, dum cælo injuriam fieri prohibetis: sed multò magis cavendum est, ne quid hominum suafu jussivè, quod contra Deum sit, perpetret: cui Deo arctissimis quisque vinculis obstricti sumus; & cujus in nos jus est & antiquissimum & maximum.

Non dubito, juvenes leætissimi; vos enim jam appello; fore ex vobis, qui hac meâ commemoratione afficiantur; qui pietatem magnitudinemq; animi in S. Uldarico admirentur, tacitisq; exoptent votis, licuisse sibi *εὐθύμια*, ut his græcis verbis utar, hujus tanti Principis coràm aspicere, inq; ejus vultu contemplando herere atque commorari. Ac certè ipse, quod præfiscinè tamen dixerim, fateor, me mihi gratulari; quod te, Dive Uldarice, te tantum Principem, in cujus corde Spiritus sanctus habitabat; qui de Deo deq; omnibus doctrinæ Christianæ partibus rectè sentiebas: cujus tua aula oraculum erat Germaniæ; gravitatis morum schola; honestatis palæstra, justitiæ officina: quod, inquam, te Principem, prudentiâ insignem, pietate, cultu, sermone, totoq; habitu gravem, majestate corporis & oris reverendum, auctoritate in toto imperio valentem, coràm videre mihi contigerit. Sed juvenes leætissimi, vos, qui hac mea pietatis Uldarici deprædicatione commoti, fortè opratis, potuisse vos oculis corporeis huius Principis externam speciem lustrare: quid censebitis vos facturos, si hujus Principis, vero Dei amore, recta in Christum fide, spe, constantiâ, omnibus virtutibus, Christiano heroe dignis, flagrans pectus vobis penitus introspicendum exponere hac mea oratione possem? Neq; enim, Auditores, in labiis nata erat huic Principi religio: nec, quod pleriq; faciunt, curam aut regendi Ecclesias ita committebat aliis, ut ipse securus esset eorum, quæ fierent; aut discendi doctrinam, quæ est Ecclesiæ Iesu Christi propria, Theologis relinquebat: sed, cum toto corde religionem coleret, cum omnibus viribus, quantum homini fas est, in Dei gloriam incumberet: tum diligentissimus erat custos eorum, quæ ipse, cum fratre Divo Ioanne Alberto, Principe incomparabili, de Ecclesiis piè administrandis (factum id fuit anno supra sesquimil-

lesimum

Iesum quinquagesimo septimo) rectè promulgaverat: atque ut juxta hanc formam, omnia tum in Dei verbo docendo, tum in cultu celebrando peragerentur, summâ opera, quantâq; posset animi contentione maximâ enitebatur. quo quidem studio ita ardebat Princeps, ut illam Ecclesiarum scripto comprehensam constitutionem, sub ipsum decretoriæ horæ articulum, ex omnibus templorum amplissimi hujus Ducatus pulpitis, tanquam voluntatis suæ ultimam testationem, subditis suis proponeret, & in hac publica fidei suæ confessione, annos 76. natos, hoc ipso die, anno abhinc sexto, lætus placidusq; finiret: ut, quod de Theodosio Ambrosius dixit; idem de hoc nostro Principe affirmare possimus: eum de salute Ecclesiæ magis fuisse sollicitum, quàm de sua vita, deq; suis rebus. Doctrinam autem, quæ est Ecclesiæ Iesu Christi propria, Princeps ita fideliter didicerat, tam exactè cognoverat, adeò feliciter imbiberat, ut rerum divinarum scientiâ cum plerisque, qui eam profitentur, facile in certamen veniret. nihil hic fingo. vivunt & supersunt, qui D. Principem intus noverunt: qui in ipsius animo non solum curam Ecclesiæ, hujusq; ministris piè & rectè consulendi, sed etiam admirandam doctrinæ cœlestis cognitionem, ipsumq; omnium virtutum chorum habitasse: factis atq; opere deprehenderunt. hos testes hujus meæ orationis cito & advoco. teq; ô Liber, quem Divus Princeps magis industriâ congeffit, quem suâ dextera conscripsit, quiq; in plurimorum hominum manibus atque oculis versaris; te appello, ut quantum in religione Christianâ Princeps potuerit, clarissimo tuo testimonio comprobes! O Principem verè Principem! ô verè bonum & salutarem gubernatorem! Laudet Trajanum Plinius, eumq; Dîs simillimum faciat. hunc nostrum Principem verè Dei vices in suâ administratione obiisse certò scimus, divinoque munere his terris concessum donum gratâ mente agnoscimus, quis ipsum jure non admiretur? quis justis eum non efferat prædicationibus? quis eum negaverit esse vivum exemplum, quod & in honestate defendendâ, & in sincerâ religione propaganda, & in verâ pietate colendâ, & in jure Majestatis sustinendo magistratus optimè sequatur?

Cum enim hoc, quod dixi, jus majestatis, finientibus quibusdam Jurisconsultis, sit potestas, de ijs, quæ ad universam temp.
per-

pertinent, quâ salutem tûm animæ, tûm corporis subditorum dis-
ponendi: Princeps noster, ut qui optimè nosset, in hac potestate &
vinculum & amplitudinem & magnitudinem & auctoritatem
Reipubl. versari: ita se in hoc jure sapienter gessit, ut ejus partes
omnes & singulas summâ cum animi alacritate curaret. Itaq;
cum veram illam animæ medicinam, aut potius Panacæam, Reli-
gionem orthodoxè - Catholicam; veriç; Dei, non ex humanæ ra-
tionis lacunis haustum, sed ex sacræ scripturæ fontibus deriva-
tum cultum; severissimum Iesu Christi de quærendo primûm
regno Dei, quodç; omnes æquè obligat, mandatum secutus; in
hunc suum Ducatum, eo, quo diximus, modo, Princeps Vldari-
cus introduxisset: studio summo, fide pari, contentione non mi-
nore, ad ea quoq; quæ ad veram religionem tum retinendam, tum
ad posteros propagandam: quæ ad civium mores, ad humanita-
tem, ad artium liberalium cognitionem facerent; animum adje-
cit. idç; quod rectè obiret Princeps; & alia præstantissima patravit
opera, quibus patriæ consultum fuit, de quibus ipsa immortalitas
loquetur: & ad hanc Academiam; cujus tûm ex naufragio supe-
riorum temporum reliquas tabulas divus JOANNES ALBER-
TUS, Dux Megapolitanus, impetrato FERDINANDI, invictis-
simi Imperatoris auxilio, recolligere ceperat, simul ac fasces sus-
cepisset, omnes consilii & potentie vires convertit. neq; id verbo
tantum ostendit, sed & ipso facto se Musarum patronum, literato-
rum asyllum, docentium discipulorumq; scutum, adeoç; bonum &
benignum Patrem tûm toti huic Lycéo, tûm omnibus nobis ab-
undè comprobavit. dicam quod res est. perspectum habebat
Princeps, & certò apud se deliberatum: in Academiis clavem
omnis scientiæ & doctrinæ conservari: ab Academiis omnium
dubiorum decisionem, tanquam ab oraculo quodam, peti: ex A-
cademiis: seu ex fonte quodâ saluberrimo, omnia bona in univer-
sum genus humanum promanare: deniq; salutem Reipubl. Aca-
demiarum salute contineri: esseç; verè regium, esse verè heroi-
cum, esse cum ipsa propemodum divinitate conjunctum: fovere
scholas: privilegia Academiarum facta rectaq; conservare: tute-
lam docentium & discipulorum legitimam suscipere: & ut Frideri-
cus Imperator laudabiliter alicubi scripsit, dilectione quadam spe-
ciali ab omni injuriâ defendere hos, quorum scientiâ mundus il-
lumina.

luminatur, & vita subje&torum ad Deo & Principibus, Dei mi-
nistris, obediendum informatur. His causis motus Princeps VL-
DARICUS, amore verè paterno hanc Academiam complexus, à
divo JOANNE ALBERTO, recollectam cum eodem restaura-
vit; restauratam ornavit; ornatam semper tutatus est, tanto studio,
ut hunc optimum Principem, partim à fratre JOANNE ALBER-
TO excitatum; partim ab hujus filio, JOANNE, Duce Megapo-
litano, beatissimæ memoriæ, nunquam satis laudato Principe, ad-
jutum; partim multos annos solum, pro legum hujus Academiæ
auctoritate, pro disciplinæ rigore, pro hujus Licéi dignitate, pro o-
ptimarû artiû cultura, pro docentium & discentium salute, pro ho-
rum parietum incolumitate, tanquam in orbe quodam stantem
senatorio, excubias, dum viveret, egisse, res loquatur.

Exposui, Auditores, rationem, quam Dux VLDARICUS
secutus est in exercenda ea potestate, quæ jus habet, de rebus ad
animæ subditorum salutem pertinentibus disponendi: quæq; fu-
erit ipsius in vera doctrinâ propagandâ, in sincero Dei cultu sta-
biliendo, in Ecclesiis legitimè constituendis, in studiis literarum
tuendis, pietas, quæ contentio, quod studium, hæc enûs ostendi.
Restat, ut, quomodo cætera, quæ ad vitam civilem benè degen-
dam faciunt, idem curaverit; paucis indicem.

Ad vitam, in societate hominum benè feliciterq; degendam,
tribus esse opus adminiculis, saniores Politici tradunt, & ipsa te-
statur experientia: justitiâ, disciplinâ & Pace. Primò enim non
tam dextera indiget sinistrâ, atque justitiâ indiget societas civi-
lis: ut non immeritò dixerit Plato: Jovem metuentem generi hu-
mano, ne prorsus interiret, misisse Mercurium, qui adduxerit du-
as sorores, justitiam & pudorem, ut essent civitatum ornamenta,
& vincula, & amicitia conciliatrices. Justitia enim non solum
omnia munera civilia distribuit, & fontes pro delicti qualitate
punit: sed bonos præmiis excitando, malosq; pœnis deterren-
do, efficit, ut cives inter se virtutum studio certent, contendant-
que, quis alterum magnitudine animi, erga superiores reveren-
tiâ, erga leges obedientiâ, vitæ honestate, morum innocentia,
modestia,

illidav

C

modestia,

modestiam, diligentiam, & id genus aliis virtutibus, tanquam in quodam certamine Olympico vincat atque superet. Eadem iustitia præcipit, ut quemadmodum agens accommodat se ei, quod patitur; sic in contractibus servetur æqualitas: non ut pars una exsuperet, altera deficiat, sed ut rerum iusta fiat æstimatio & compensatio. Quibus quidem iustitiæ officiis nihil est ad societatem civilem utilius, nihil efficacius: in quibus colendis salus & incolumitas Reipub. consistit, & in negligendis interitus. **Quam** enim censebimus ejus civitatis diuturnitatem, in quâ mali bonis imperant? in quâ sapiens incedit pedes, equitat stultus? in quâ juxta Cræteti Thebani dictum, dantur coquo minæ decem, scorto talentum, adulatori talenta decem, Philosopho triobulus, Consiliario sumus? in quâ sine æqualitate sit permutatio, sine ratione communicatio? Nec est via ad Tyrannidem hac ipsâ gradum iustitiæ violatione ulla alia expeditior. Apologum sci- mus de Leonis, Vulpis, Equi & Asini societate: cum Anus in divisione prædæ proportionem, quam vocant, Arithmeticam, Equus Geometricam servasset: fuisse utrumque à Leone discerptum. Quid hoc significat aliud, quàm Tyrannos, cum Remp. in servitutem redigere satagunt, utramque violare iustitiam, & illam, quæ Personas & officia distinguit, & hanc, quæ in contractibus celebrandis omnes homines, idque necessitate quadam coacta, exæquat? Ac mihi quidem de iustitiæ ad politicam societatem necessitate accuratius cogitanti venit in mentem ejus, quod de Vlysse scriptum extat: quem ajunt ab Æolo donatum esse utre, cui inclusi erant contrarii venti. sed, dormiente Ulysse, socios recluso utre, cum existimassent thesaurum in eo contineri, ventos imprudenter emisisse, qui totis viribus mari incumbentes Vlysses non sine fortunarum & vitæ periculo in Æoliam repulerint. Quid hac imagine venustius? quid ad iustitiæ in republ. necessitatem significandam accommodatius? quid explicatius? Vlysses enim, Auditores, non est ille erroneus à Poëtis descriptus Vlysses: sed est gubernator sapiens & prudens. is ventos contrarios, cives nempè; qui, ut Poeta inquit, bellua sunt multorum capitum; in reipub. corpus, legibus & disciplina constitutum, quasi in utrem, conclusos continet: omniaque æ-

quabili

quabili jure & moderatione juxta administrat; adjutus à Deo. Ut enim oculus videat, & auris audiat: ut Princeps sit prudens & felix, & ut subditi pareant: utrumque facit Dominus. Quamdiu igitur Magistratus juxta justitiæ præscriptum piè & sapienter imperârît: tamdiu navis reipublicæ secundo flamine & flumine fertur; estque incolumis, florens & beata. Verum enimverò, dormiente Vlysse, hoc est viro illo sapiente, aut remoto; aut, quæ est imbecillitas humana, negligenter etiam suum officium faciente: cum socii avari solvunt harmoniam reipublicæ, cum omnia venalia habent, cum subditos onerant, injustos absolvunt, aliena ad se pertrahunt, publica non virtuti, sed libidini diripienda cedunt: continuò exoritur tristis tempestas, fit horribilis omnium rerum confusio: perturbantur, permiscentur, sursum deorsumque voluntur omnia: reipublicæ navis conquassatur: ut eam calamitatem lugeant ac deplorent, & exhorrescant tum subditi, tum magistratus. O prudentiæ vim admirabilem! ô fructum justitiæ, cum nulla aliâ re, quantumvis preciosissimâ, permutandum! Ex quo & id patet, quanta sit disciplinæ ad politias ornandas necessitas: cum compertum sit, honestâ piâque morum gubernationem cum justâ administratione semper esse conjunctam, aut certè ex eâ, tanquam ex stirpe furculum, provenire atque nasci. Paucè autem quantoperè ad urbes, ad regna, ad imperia augenda & amplificanda opus sit, si quis non videat; ne ille unquam sanis erit præditus oculis. contendat Crassus apud Ciceronem, seditiones esse reipublicæ utiles & necessarias: probet easdem Machiavellus & suadeat: nos & arcanum Tyrannidis statuimus, alere factiones inter cives: & ubique tum domi tum foris pacem sic desideramus, ita exosculamur, ut cum Poëta in ejus honorem canamus:

Pace nihil melius, nil pace salubrius orbi.

Cumque hæc ita sint, tum ut omnes intelligatis, me Ducem VLDARICO tantum impertiri laudis, quantum Principi viro & sapientissimo gubernatori, & bono salutarique magistratui debeat; dico, quod omnibus notum est, & quod publicè constat: Principem VLDARICVM cum divo JOANNE ALBERTO judicia in hoc Ducatu restituisse: eundemque non

non tantum disputationibus forensibus Provincialibus, etiam
 in gravescente ætate, nisi valetudine excluderetur, præfuisse, sed
 & quas dederat subditis, leges ipsum accepisse: virtutem præ-
 miis, scelera pœnis affecisse: finitimos in officio continuisse: cives
 suos omnes, superiores cum inferioribus, justâ administratione,
 ceu quadam aureâ Jovis catenâ, devinctos colligatosque habuisse:
 bella civilia restinxisse: ab hoc orbe Balthico tû aliorum, tum Hi-
 spanorû irruptiones, cædés, flâmas, rapinas avertisse: auctoritate suâ
 & verè heroicâ gravitate, animiqûe celsitudine, virtutumque per
 totam vitam culturâ, signum omnibus, quod in regendâ discipli-
 na, tuendâque honestatis morum gubernatione sequantur, extu-
 lisse: vigiliâs, profectioes, labores, molestias, pro subditis, pro
 uniuscujusque vitâ, pro totius Reipublicæ salute, sæpè exanclasse
 gravissimas: salvum hunc Ducatum, & in Pace florentem toto
 illo tempore, quo per annos 49. ad gubernacula sedit, divinitus
 conservasse: ab eodemque Duce VLdarico commerciorum jura;
 privatorum pacta; conjugii castitatem; vitæ cujusque incolumi-
 tatem sanctè custodita: in dictis conventisqûe fidem religiosè
 servatam: prætoriam; curiam; Senatam; quæsturam; archiva, pru-
 denter instructa: atq; hæc omnia sine cujusque injuria, sine subdi-
 torum lacrumis, piè, sapienter, justè, fortiter, graviter, mode-
 ratè, clementerque tum publicè, tum privatim esse administra-
 ta.


Satis opinor hoc esse laudis, Auditores, atque ita reputo, ut
 ij, qui hanc prædicationem meam verissimam esse sciunt, me-
 cum recognoscant; reliqui, qui hæc fortè ex me primùm audi-
 unt, intelligant, & florentissimum sub VLdarico Duce ac pro-
 pemodum aureum tempus, & ipsius Ducis VLdarici eximiam
 & verè humanâ majorem felicitatem: quæ ut DUCIBUS
 MEGAPOLITANIS propria sit ac perpetua, cum com-
 munitatis salutis tum ipsorum Principum causâ, sicut facimus, velle
 & optare debemus; ut, quoties hujus temporis recordamur; recor-
 dari autem nos oportebat quotidie; toties in hanc vocem nos exci-
 temus.

*O clementissime Deus, immensum est, quod Tibi, qui
 Principem VL DARICVM his terris largitus es, qui que*

eum sanctis & laudatissimis regibus, Davidi, Iosaphaco, Ezechia, Constantino, Carolo Magno, addidisti, ut exemplo sit omnibus magnis & in amplitudine collocatis, quod pie & rectè sequantur. est, inquam clementissime Deus, immensum, quod Tibi, quod ipsi Principi VL DARICO, quod ipsius præclarè factis, quod hujus justissimæ administrationi debemus. Tu per hanc Principem opus religionis, primùm ab HENRICO Pacifico, Duce Megapolitano, incoatum, & deinde ab JO ANNE ALBERTO continuatum, opus illud Herculeum, quod nihil vel tibi gratius, vel nostro generi fructuosius, in his regionibus perfecisti. Tuo beneficio, Portas Tibi sui Ducacus VL DARICO, cum fratre IO ANNE ALBERTO, aperi-entibus, Doctrina Prophetica & Apostolica, curru triumphali inuenta, apud nos in nostris Ecclesiis & Scholis pura habitat. Te dante, Principibusq; ipsdem allaborantibus, hæc Academia ad hanc vitam revocata est: cui nunc spiritum tempora formidolosa velle intercludere videntur. Te curante, per eosdem iudiciorum severitas reducta, virtuti premia attributa, turpitudines morte mulctatæ, disciplina exculpta, pax celebrata est. Tuo munere, Princeps CAROLVS, Dux Megapolitanus, Princeps optimus, Dominus noster clementissimus, Ecclesias, Academiam, scholas, justitiam, disciplinam, pacem, totam rempublicam à fratre VL darico de manu in manum tradita & accepta sedulò constanterq; defendit, colit, tuetur, administrat. Jam, quod nos his tantis bonis, servientibus undiq; procellis, quietè tamen utimur fruimur: id Tuum est. Quod gloria gentis Heneta, splendorq; Ducum, ADOLPHVS FRIDERICVS, & JOANNES ALBERTVS 2. Duces Megapolitani, domini nostri clementissimi, supersunt & florent: Tuum est. Quod uterq; eo est animo, ut cum Patris magni, tum divi avi sui JOANNIS ALBERTI; quem ille plurimarum rerum laudabiliter gestarum socium, auctorem, adjuco-

adjuctoremq; habuit; Principis incomparabilis vestigiis lau-
datissimis insistant: id Tuum est. O clementissime Deus, im-
mensum est, quod tibi debemus! Eja mitissime Pater, eja con-
serua, hac diaboli immanitate ubique grassante, inter hos maris
terraeq; motus, inter has undique erumpentes furias, conserua
nobis haec tua dona: serua Ecclesiam: serua Rempubicam:
serua hanc Academiam: serua hujus Academiae hospitium,
hanc urbem: serua totum hunc Ducatum: serua horum omni-
um bonorum seruatoros, patronos, curatores, & Rectores cum
ceteros, cum Illustrissimos Duces Megapolitanos, dominos no-
stros clementissimos: serua heroinas, Duces Megapolitanas,
singulari bonitate atque clementia eximia Principes: serua
regias & illustres animas, quotquot diuvm Vldaricum pro-
pinqvitate attingunt: serua nos omnes, facq; nos vasa
misericordiae, neq; abjicias nos inter vasa irae. Tibi
Deo Trinuni sit honor, laus, & gloria in
omnem sempiternam ævi-
ternitatem.







30 Jan 1987



SIGILLUM CIVITATIS MEGAROLENSIS



eum sanctis & laudatissimis regibus, **DAVIDI**,
ESCHIA, **CONSTANTINO**, **CAROLO MAGNO**, addidisti,
 munitis magnis & in amplitudine collocatis,
 sequantur. est, inquam clementissime Deus, i
 Tibi, quod ipsi Principi **VLDARICO**, quo
 factis, quod hujus justissimæ administrationi debet
 Principem opus religionis, primum ab **HELD**
FICO, Duce Megapolitano, incoatum, & deind
NE ALBERTO continuatum, opus illud
 nihil vel tibi gratius, vel nostro generi fructuosius
 nibus perfecisti. Tuo beneficio, Portas Tibi s
DARICO, cum fratre **IOANNE ALBERTO**
 entibus, Doctrina Prophetica & Apostolica, c
 inuenta, apud nos in nostris Ecclesiis & Scholis p
 dante, Principibusq̄ ysdem allaborantibus, h
 hanc vitam revocata est: cui nunc spiritum t
 losa velle intercludere videntur. Te curante
 ditionum severitas reducta, virtuti premia at
 dines morte multata, disciplina exulta, pa
 Tuo munere, Princeps **CAROLVS**, Dux
 Princeps optimus, Dominus noster clementiss
 Academiam, scholas, justitiam, disciplinam
 rempublicam à fratre **VLDARICO** de manu in m
 accepta sedulo constanterq̄ defendit, colit, tue
 Jam, quod nos his tantis bonis, sc̄vientibus
 quietè tamen utimur fruimur: id Tuum est
 gentis Heneta, splendorq̄ Ducum, **ADOLPH**
DERICVS, & **JOANNES ALBERTO**
 ces Megapolitani, domini nostri clementissimi,
 rent: Tuum est. Quod uterq̄ eo est animo
 magni, tum divi avi sui **JOANNIS ALBERTI**
 ille plurimarum rerum laudabiliter gestarum s



the scale towards document